

Gorski Jacobi: Quaestio de foro Clerici.

~~2399 Preuve~~

QVÆSTIO
DE
FORO CLERICI:

QVAM

Præsidente Clarissimo & Consultissimo viro,

D. ANDREA PETRICOVIO I. V. D.

& Professore Ordinario.

M. IACOBVS GORSKI, I. V. B. Nouorum *Iurium Professor, Collega DD. Iurisconsultorum, pro Licentiatura in vtroque Iure obtinenda, publicè ad Disputandum proponet.*

Lectorio DD. Iurisperitorum. Anno 1629.
Die 28. Martij Hora 7. ante meridiem.

Permissu Magnifici D. RECTORIS



CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.

pp.

IN STEMMA



SYmbola virtutis, fidei, pietatis, auitæ,
His monstrare tribus quisq; ROSIS poterit.
Alba fidem redolet, fulget pietate rubensq;,
Candida virtutis; præmia terna ROSIS.

Illustri & Admodum Rn̄do Domino,

DOMINO ANDREÆ ŁVKOMSKI,

Cracouiensi, Władislauiensi, Sandomiriensi, Canonico. &c. &c.

Domino & Fautori obseruandissimo.



A vis est, & potestatas Illustris & Admodum Rn̄de Domine, eius scientiæ, quæ iusti & æqui cognitio dicitur, vt toto orbe terrarum diffusa, vniuersas hominum actiones foueat & amplectatur. sine hac nihil apud mortales, vel est laudabile, vel quod aliquo modo ad gloriam, rerum agendarum incitamentum possit aspirare. Ipsæ operationes exercitiaq; virtutum, si à lege discesserint, splendorem & dignitatem amittunt; quoque magis legibus moderantur eo perfectiorem hominum efficiunt conditionem; iam nec continentia pura, nec prudentia tuta, esse poterit, sine præceptis institutisq; iuris, cum eam astutior calliditas ementiri, illam sordidior parsimonia adulterare valeat. Fortitudo Tyranidem, constantia pertinaciam, discretio confusionem spirat. Per leges pax populorum, tutamen patriæ, gentium munimentum, immunitas plebis, pressis subleuatio, securitas solidior, quies securior, omnium rerum prosperitas tutior comparatur, & velut solis radijs omnia legibus fouentur, illustrantur, augentur: erroris enim nube depulsâ, iura æquitatis & iustitiæ lumen subministrant. Et quod alicubi Plato, tum

demum

demum Rempublicam futuram fælicem, si aut in ea Philosophi regnarent aut qui regnant Philosophentur asseuerabat, hoc Iuriscon ultis, qui legum abdita scrutantur, verius accomodari certum est, hi enim omnes hominum actiones, ad iura legesque ceu ad Lidium lapidem examinant, ex varijs controuersijs velut Dædali labyrinto filo ceu Thesei legum iurisque subsidio deducunt, in portuque quieto. Iusticiæ collocant. Marcus Crassus vnum duodecim tabularum libellum omnium Philosophorum Bibliothecam superare opinabatur: neque mirum, sine lege enim nec exiguus hominum cætus nec domus parua subsistere commode poterit: quod stamus, sedemus, viuimus tuti, quod rerum dominia retinemus, diuina profanis non confundimus, id totum Iuri legibusque debetur. Quæ confusio ne in iudicando Clerico eueniat, Quæstionem ex directrice omnium actionum humanarum scientia desumptam sub nomine Tuo Illustris & Admodum Rnde Dne proposui, vt Qui generis splendore clarus, virtutis singularisque eruditionis ornamenta continuo exercitio fouens, in Ecclesiæ, Reipublicæ, amicorumque negotijs, eximiam prudentiam, animi dexteritatem, & promptitudinem, exhibes, vtque sublimioris scientiæ titulo es decoratus, ita de literis literatisque quam optimè mereri satagis. Hoc spem mihi addit, Illustrem & Admodum Reuerendam Dnationem Vestram, fauorem & patrocinium huic Quæstioni mihique non denegaturam, quod vt pro animi sui magnitudine faciat maiorem in modum oro. Deumque veneror vt Illustrem & Admodum Rndam Dnationem Vestram, Ecclesiæ, Reipub: literis diu incolumem sospitet. Datum è Collegio DD. Iurisconsultorum 27 Martij Anno Domini, M. DC. XXIX.

Illustri & Admodum Rndæ Dnationi Vestræ:

Obsequentissimus

M. IACOBVS GORSKI Nouorum Iurium Professor.

QVAESTIO DE FORO CLERICI.

Ex Cap: Clerici. Ext: de Iudicijs. junct: Auth. Statuimus.

C. DE EPISC. & CLERICIS.

V. Clericus in omnibus cauſis à Iudice Eccleſiaſtico tanquam ſuo Ordinario iudicari debeat priuatiuè ad Iudicem laicum ſiue ſecularem: ita vt renuntiare Iuriſdictioni Eccleſiaſticę per electionem tacitam vel expreſſam fori laicalis, nequeat; occaſione cuius Iudex ſecularis exercens iudicium in Clericum, ipſo facto excõmu-

 nicetur,

nicetur, potestateq; iudicandi priuetur: nec ne?

CONCLVSIO I.

Personæ & res Clericorum ita pertinent ad Iudices Ecclesiasticos, vt Iudex laicus nullo modo sese ijs immiscere debeat.

COROLLARIA.

1. *Etiamsi Clericus conueniatur ex persona laici, tanquam hæres vel successor: adiri nihilominùs debet iudex Ecclesiasticus non secularis: nisi antea cum laico fuerit lis contestata.*

2. *Cum arbitria ad instar iudicorum sint redacta, Clericus in laicum, dum est causa spiritualis, compromittere non potest.*

3. *Minoribus Ordinibus insignitus, licet non sit addictus Ecclesiæ, modò in Vniuersitate approbata, literis det operam, cum sit in via ad maiores, fori clericalis Priuilegio gaudet.*

4. *Processus in Clericũ coram Iudice seculari formatus sententiáq; ab eo prolata, ipso iure non valet.*

5. *Actore existente Clerico contra Reum lai-*

cum in causa Ecclesiastica videlicet decimarum &c. dum agitur de solo possessorio, Iudex secularis potest admitti.

Conclusio II.

Per Clericũ electio tam tacita quã expressa fori laicalis minimè subsistere potest.

COROLLARIA.

1. *Iuramentum quo confirmat Clericus consensum suum in Iudicium laici, non tenet.*

2. *Ratione bonorum realium, natura sua secularių, absque præiudicio fori Ecclesiastici potest Clericus coram Iudice eorumdem bonorũ cõueniri*

3. *Renunciationem fori factam à Clerico, Ordinarius, vel quiuis superior præter Romanum Pontificem firmare non potest.*

4. *Licet summus Pontifex possit laico committere vt Clericus coram eo conueniatur, tàm in causa Ciuili, quàm criminali in facto occurrẽte: non tamen potest, vt omnes Clerici conueniantur ad iudicium seculare, concedere,*

5. *Iudicis secularis consuetudinem, vel quasi possessionem iudicandi Clericos allegantis nihil contra*

tra

tra Priuilegium fori Clericalis operari posse manifesti iuris est.

Conclusio III.

Iudex secularis occasione renunciatę iurisdictionis Ecclesiasticæ iudicium exercens in Clericum, ipso facto excōmunicatur, potestateq; iudicandi priuatur.

COROLLARIA.

1. *Si iudex secularis habens facultatem in crimiali Clericum capiendi, in percussionem, & incarceratione eius consentiat, in carcereq; vltra terminos facultatis detineat, incidit in pœnam Canonis.*

2. *Dominus feudi Clericum Vasallum iudicare potest extra dubium.*

3. *Si contra Clericum Vasallum agatur ex aliquo crimine siue criminaliter, siue Ciuiliter: penes Iudicem Ecclesiasticum manebit facultas iudicandi.*

4. *Clericus negotiis secularibus se immiscens vigore Constitutionum nostrarum, alias in casibus de iure expressis, quasi ipso facto recedens à iure & Priuilegio suo, non gaudet immunitate fori.*

5. *Trahens Clericum ad iudicium seculare, Causam amittit, & à communione arcetur fidelium.*


Biblioteka Jagiellońska
stdr0016909